

liberatus est à peccato. Quid igitur tantopere vitam hanc desideramus, in qua quanto diutius quis fuerit, tanto majore oneratur sarcinâ peccatorum? ait Ambrosius libro de bono mortis, cap. secundo. Mors est finis peccati, ne quò esset vita diuturnior, eò fieret culpa numerosior.

II X. Quia mors corporalis Sanctis non detrimentum, sed lucrum affert. Lucrum est evasisse incrementa peccati, lucrû fugisse deteriora & ad meliora transisse.

I X. Quia mors fideiû sanctificata est per mortem Christi, sic ut nequaquâ par sit morti impiorum maledictæ.

X. Quia mors Sanctorum est pretiosa in conspectu Dei Psalm. 116. v. 15. Pretiosa planè tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ janua & perfectæ securitatis ingressus, ut Bernardus explicat in Epistolis.

X I. Quia mortem hanc corporalem sequitur bona vita. Bona vita post adeptam victoriâ: bona vita absoluto certamine, ut jam lex carnis Legi mentis repugnare non noverit, ut jam nobis nulla sit cum corpore mortis contentio, sed sit in corpore mortis victoria. Bona vita, in qua est pura requies, lux immortalis, gratia perpetua, animarum perennis hæreditas, fida tranquillitas: Ubi vita sine morte, gaudium sine luctu, exultatio sine fletu, cantus sine lacrymis: ubi nullus lapsus, nullus
lus